



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

524. An sicut electiones confirmare, sic etiam admittere possit
postulationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaestio 523. Num Capitulum sede vacante possit administrationem tantisper committere electo à se, usque dum is à Superiore v. g. Papa confirmetur?

R Esp. negativè: fieret enim aliàs fraus ipsi legi prohibenti, ne Clericus administraret. Pirh. ad tit. de elect. n. 8. Quin etiam, si contingeret, quodd ecclesiae economus, aut procurator (intellige constituti ad liberum alterius arbitrium, vel si sermo est de pralato inferioris ecclesiae, ab Episcopo; secus enim esset, si de eo, qui ex consuetudine ecclesiae aliòve jure speciali debebat deputari economus, ut Lotter. l. 3. q. 17. num. 10.) eligeretur in Pralatum; illum debere statim cessare ab administratione, tradit Passerin. de elect. c. 33. n. 4. citans Jo. And. & Verall. Idem dicendum videtur de ipso Vicario Capitulari, casu quo is eligeretur. Vide me ipsum in sero benefic. p. 2. q. 427. num. 3. juncto num. 5.

Quaestio 524. Num Capitulum sede vacante, sicut electiones confirmare potest, possit etiam admittere postulationes?

R Esp. Affirmant id Cuchus in Instit. majorib. l. 2. tit. 9. num. 46. Pavin. 4. q. 2. p. num. 8. apud Garciam p. 5. c. 7. n. 57. eò quòd hac admissio non nititur mera gratià, sed juris necessitatem habere videatur. Affirmat item Azor. p. 2. l. 2. c. 38. q. 5. modò nihil objici possit postulato, in quo egeat Papæ indulgentià. Verùm de hoc merito dubitari potest; cum postulatio autè admissionem jus nullum, ne quidem ad pralaturam conferat, sed cum summo jure rejici possit. Passerin. de elect. c. 24. num. 1. Cardin. de Luca de Regular. d. 13. n. 9. Tondut. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 6. n. 9. Azor. Inst. mor. p. 2. l. 6. c. 17. q. 2. Laym. in c. nihil. de elect. n. 8. adeò que postulatio innitatur gratiæ, & è contra electio juris. Azor. Passerin. l. cit. & Laym. in preamb. ad tit. de postul. in hoc sentiu, quòd per postulationem quis pralateretur, & ex gratià solum admittatur, & instituitur: per electionem verò canonicam vocetur quis ad pralaturam, ita ut Superior electionem legitimè factam confirmare debeat. Laym. loc. cit. ego in Foro benef. p. 2. q. 199. num. 2. Unde jam licet ad eum superiorem spectet admissio postulationis, cujus aliàs est confirmare electionem, modò tamen is dispensare possit, & auferre inhabilitatem, propter quam postulatus erat ineligibilis ad pralaturam. Pirh. ad tit. de postulat. num. 4. Laym. loc. cit. corollar. 3. citantes Abb. in c. fin. h. tit. n. 10. Ego loc. cit. q. 228. n. 2. Ad Capitulum verò sede vacante spectet confirmare electos, & fortè etiam in dicta inhabilitate, uti poterat Episcopus, & ipsum dispensare possit; adhuc tamen admittere non posse postulationem videtur ex eo capite, quòd admissio hac habeat rationem collationis, & provisionis omnino liberæ, & gratiosæ; ea autem, quæ meram talem gratiam continent, non transeant ad Capitulum juxta dicta & dicenda quest. post

hanc 2.

*

Quaestio 525. Num ad Capitulum sede vacante transeat potestas conferendi beneficia, quæ ad liberam solius Episcopi quæ talis, seu quæ Ordinarii, diocesis collationem spectant?

R Esp. negativè, Fagn. in c. cum olim. de major. & obed. num. 34. Sbroz. de Vicar. Episc. l. 2. q. 70. num. 4. Garc. p. 5. c. 7. n. 51. & seq. Diana p. 8. tract. 4. resol. 25. Fermosin. tract. de Capit. sed. vac. q. 23. a num. 2. Azor. p. 2. l. 3. c. 38. q. 1. Castropal. tract. 13. d. 2. p. 29. num. 8. Lotter. l. 2. q. 2. num. 26. & seq. Laym. in c. cum vos. de off. judic. ordinar. n. 3. & in c. cum olim. de major. & obed. n. 2. Venturi. gl. tom. 2. amot. 15. §. 1. num. 50. Barbof. jur. eccles. l. 1. c. 32. num. 109. citans Molin. de iust. tract. 5. d. 11. num. 11. Vulpe in pr. iudic. For. eccles. c. 44. num. 5. Paris. de resign. l. 9. q. 23. num. 19. Gonz. ad regui. 8. Cancell. §. 4. proam. n. 35. & gl. 9. §. 1. n. 77. & alios quam plurimos juxta c. 2. ne sede vac. & c. unico. eod. tit. in 6. c. quanto & c. ea noscitur. de his, quæ sunt à Pralat. & c. 1. de Inst. in 6. In materia enim provisionis beneficiorum Capitulum sede vacante nihil assequitur, quàm quòd à jure expressum Lotter. loc. cit. num. 31. tale quid autem non est collatio illa beneficiorum. Quin & licet Capitulum succedat in iis, quæ jure ordinario competunt Episcopo. c. cum olim. de major. & obed. collatio tamen beneficiorum casus unus est, iique præcipuus ab ista regula positivè exceptus per c. 2. ne sede vac. & c. unico. tit. eod. in 6. Garc. Castrop. l. cit. Cujus exceptionis, seu prohibitionis hæc est ratio: tum quòd collatio sit fructus dignitatis episcopalis, Lotter. loc. cit. num. 16. Castrop. Barbof. l. cit. fructus autem r. serventur successori. AA. iidem juxta c. quia sepe. de elect. in 6. Quin & non sit fructus tantum simplex, sed fructus cum honorificentia, qui propterea avelli nequit à persona, Lotter. num. 17. Fermosin. loc. cit. num. 4. ex Abb. & Felin. tum quia insuper collatio beneficiorum continet meram gratiam, in quo transcendit jus instituendi, & confirmandi, quæ potius sunt de mera justitia. Lotter. num. 16. ex Bellamer. conf. 20. num. 13. seu quia est libera donatio; donare autem prohibetur is, cui libera bonorum administratio non conceditur. Castrop. cit. n. 8. adeò que, cum Capitulum sede vacante alienare, aut donare nequeat, conferre nequit illa beneficia. Fermosin. loc. cit. num. 18. Barbof. loc. cit. Atque ita ratio libera donationis, & meræ gratiæ, quam continet collatio, & in qua exercenda lex plus confidit Episcopo, quàm Capitulo suadet illam non transire in Capitulum, Lotter. num. 22. Quin & ultimam rationem his adjicit Lotter. num. 13 & 17. nimirum quòd ethi hæc potestas conferendi obveniat Episcopo eodem tempore cum jurisdictionalibus, non tamen ei competat jure Magistratus, ita ut ad jurisdictionem spectet, aut sit illius fructus; quemadmodum, quia jus confirmandi, & instituendi, seu facultates aliæ inferiores à potestate conferendi ei competunt jure Magistratus, & inter jurisdictionalia reputantur, non impediuntur transire in Capitulum. Vide me de his in Foro benef. p. 2. q. 708. n. 1.

2. Ampliatur responsio primò, ut procedat, etiam si beneficium vivente Episcopo vacarit in ejus mensè, & ab illo provisum non sit. Dian. loc. cit. resol. 25. Fermosin. loc. cit. num. 18. Castropal. loc. cit. citans Molin. uti ante.